

cecos et angulos pene occultos talibus personis locaverunt, qualium vita dubia est, conditio ignota, fama obscura; ita ut gravibus in circuitu nostro personis tale sit de habitaculis istis iudicium et sic ^{e)} de illis iudicent tamquam de quibusdam officinis immunditiarum, et idcirco dicere ^{f)} non dubitent iuste hoc accidisse incendium non solum intus his qui fecerunt, verum etiam foris illis, qui facientibus consenserunt meque reclamantem aut litigio depresserunt aut silentio destituerunt. Plane etsi alie fuerunt cause incendii, dicere ^{g)} non dubitem, quin causa ista maxima fuerit et iudicio Domini actum sit. Videram quippe in somnis antequam fieret et nonnullis vestrum aliquoties ^{h)} retuleram cum ammiratione ¹⁾ pavorem huiusmodi. Aderat atque instabat expectantibus nobis quasi dies iudicii, cum videremur consistere quasi in orientali parte monasterii cuiusdam, versi ad occidentalem plagam. Interea signa de turri pendentia fragore horrissono concrepuerunt, et hoc videbatur quasi adventantis iudicis prenuncium. Et nullam quidem personam in eodem visu aspeximus, sed repente ab aquilone per patentes fenestras ignis horribilis crepitans et in partes plurimas scintillans insiluit ^{k)} et ante facies nostras disiectus cecidit, nos tamen, id est me et eos qui simul stare videbantur, nequaquam ^{l)} attigit, nisi quod in visu illo immensa erat magnitudo sevi horroris. Sed numquid argumentis sive coniecturis egemus, ut sciamus vel credamus, quod non casu, sed iudicio Domini corripientis ^{m)} factum sit istud, presertim cum dicat apostolus: *Dum iudicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur?* ¹⁾ O ergo utinam vel sic correpti iudicio presenti, iudicio modico et tolerabili, sententiam ⁿ⁾ timeant atque effugiant futuri universalis iudicii hi, qui sacratum Deo locum invadere presumentes vota beatorum pontificum supradictorum ²⁾ quantum in ipsis fuit perfregerunt, ne dicam irrita fecerunt, quia videlicet irrita fieri non potest devotio sanctorum, qui *superedificati super fundamentum apostolorum* ³⁾ nequaquam dignum arbitrati sunt superedificare super fundamentum paganorum seu quorumlibet hominum mortuorum.

10 ^{a)} Mirum unde mortalium animis tanta cupiditas terrenę altitudinis sive munitionis terrenum fundamentum habentis, cum sint brevis vitę multoque angustioris quam fuit vita priscorum hominum, quorum

^{e)} sic *fehlt B* ^{f)} dicerent: *M* ^{g)} dicere *fehlt B* ^{h)} aliquoties *B* ⁱ⁾ cum admir. retuleram *AJM* ^{k)} insilivit *J* ^{l)} nequaquam *fehlt B* ^{m)} corrip. Domini *AJM* ⁿ⁾ sentiam *B*

10 ^{a)} c. 10 *fehlt J*

¹⁾ 1. Cor. 11, 52 ²⁾ Heribert und Bruno von Köln, s. o. c. 8 ³⁾ Ephes. 2, 20